

carità e della scienza. Deputava a compiere i suoi voleri l'Eminentissimo Cardinale Dusmet, Benedettino di professione e di cuore. Alla virtù del proposito, alla munificenza degli argomenti, con cui va maturando il divisato, non potrà mai rispondere abbastanza la riconoscenza dell'Ordine Benedettino. Ma la storia sopperisce sempre all'impotenza dell'uomo; e già ha collocato Leone XIII nella fulgida plejade di Gregorio Magno, Gregorio II, Zaccaria, Alessandro II, Urbano V, Eugenio IV, che fecero tanto bene a S. Benedetto. Così quello che non arrivai a sapere oregliando all'uscio della mia cella, seppi dall'alto. S. Benedetto viaggia ancora pel mondo, *pertransiens benefaciendo*.

APPENDICE

A.

Versi del monaco Marco Poeta in onore di S. Benedetto.

(Bibliot. Corsin., Codice 257).

Caeca prophanatas coleret dum turba figuras,
Et manibus factos crederet esse Deos;
Templa ruinosis hic olim struxerat aris,
Queis dabat obscoeno sacra cruenta Iovi.
Sed iussus veniens, heremoque vocatus ab alta
Purgavit sanctus hanc Benedictus humum.
Sculptaque con fractis deiecit marmora signis
Et templum vivo praebuit esse Deo.
Huc properat coelos optat qui cernere apertos,
Nec removet votum semita dura pium.
Semper difficili quaeruntur summa labore,
Arctam semper habet vita beata viam.
Hunc ego cum scelerum depressus fasce subissem,
Depositum sensi pondus abesse mihi.
Credo quod et foelix vita fruar insuper illa,
Oras pro Marco si, Benedicte, tuo.
Hunc plebs stulta locum quondam vocitaverat arcem
Marmoreisque sacrum fecerat esse Deis.
Quod tunc si vero signasset nomine quisquam,
Tartareum potuit iure vocare chaos.
Ad quem caecatis errantes mentibus ibant
Improba mortifero reddere vota Iovi.

Sed puto praevisae culmen signaverat aulae
 Nomine tunc Arcis templa moderna vocans:
 In quibus aeternae damnatur porta gehennae
 Arxque modo vitae est, quae fuit ante necis.
 De qua stelligeri pulsatur ianua coeli
 Dum canit angelicis turba beata modis.
 De qua conloqueris vero, Benedicte, Tonanti,
 Monticola, & sacri dux heremita chori.
 Ad quam tu ex alio monitus cum monte venires
 Per deserta tibi Dux, Via Christus erat.
 Namque duos Iuvenes bivium produxit ad omne
 Qui te firmarent quod sequereris iter.
 Hic quoque viventi iusto praedixerat uni:
 His tu parce locis, alter amicus adest.
 Se sibi sublato tenebris mons coelitus horret,
 Et pallet nebulis concolor ipse suis.
 Moerent, et largis distillant fletibus antra,
 Cumque suis plangunt tabida lustra feris.
 Teque lacus liquidi vero flevere dolore
 Et sparsit laceras silva soluta comas.
 Credar ficta loqui, nisi te, ne solus abires,
 Tres subito corvi promeruere sequi.
 Hic quoque te clausum populi, te teste, requirunt,
 Expectas noctis, cum pia festa sacrae.
 Qui velut orbatu raucis tibi flere querelis
 Instant convictu, quod caruere tuo.
 Ast huc perducto scopuli cessere, rubique,
 Siccaque mirandas terra retexit aquas.
 Certum est mons Christi, quod montibus imperet ipsis,
 Subiecit pedibus mons caput ecce tuis.
 Utque suum tu sancte super vegetere cacumen
 Summisso tumidam vertice planat humum.

Neve fatigentur qui te, Benedicte, requirunt,
 Molliter obliquum flectit ubique latus.
 Hunc mons ipse tamen iuste tibi reddit honorem
 Qui meruit tantum, te decorante, bonum.
 Arida tu cuius hortis componis amoenis
 Nudaque foecundo palmitis saxa tegis.
 Mirantur scopuli fruges, et non sua poma
 Pomiferisque viret silva soluta comis.
 Sic hominum steriles in fructum dirigis actus,
 Sicca salutari flumina corda rigans.
 Sic rogo nunc spinas in frugem verte malignas
 Quae lacerant Marci pectora bruta tui.

B.

Nota del cassinese Macarty su le antichità di Cassino.

(Chron. Sublac., Mirtii, p. 720).

.... Tametsi bene Mirtius *Casinenses* unico sibilo, non *Cassinenses* duplici scribat; nichilominus hac voce, qua Congregationis nostrae monachi indiscriminatim veniunt, non recte utitur ad Montis Casini coenobitas designandos, qui dicendi sunt *Casinate*. Ita enim aetatum aureae et argenteae inscriptiones appellant cives et incolas antiquissimi Casini, quod Oseorum primo, tum Volseorum oppidum, ad Sabinos deinde, perque eos ad Samnites, demum ad Romanos derivatum, in excelsi cacuminis montis latere, inter orientem aestivum et meridiem, ad extrema novi Latii situm est, agro irriguo, amplo, amoeno, feraci in primis frumenti, frugi, quoque, ac fructu, omnigenisque oleribus divite. Laudibus prosequuntur: Tullius, *Orat. contra Rullum, de Lege agrar.*; Silius Italicus, lib. 12, *de Bello punico*; Macrobius, in *Saturnalibus*, lib. 3, cap. 16; Varro, praeterea, Livius, Plinius, qui *Natural. historia*, lib. 2, cap. 3, aquarum eius scatebras aestate praege-lidas uberioresque miratur. Colonia eo deducenda senatusconsulto statuitur. L. Papirio Cursore, et C. Iunio iterum Coss. nimirum anno Urbis conditae 441; nec Municipii honore caruisse innuunt lapis *Quinc. in Municipio. suo. Casini*, apud Cluverium, lib. 3, cap. 8, et Tullius, *Orat. 31, pro Gneo Planco*, quod fortasse contigit, cum confecto bello sociali, romana civitas Italicis populis

data est, Coss. L. Cornelio Cinna, et Gn. Octavio; teste L. Floro, *Histor.*, cap. 79. Inde Casinum aedificiorum magnitudine crevit, eiusque frequentissimi cives in varias tribus, Terentinam, Stellatinam, Palatinam censiti, nobilitate, divitiis, publicisque muneribus insignes evasere. Namque Vmmidius ex Varrone, lib. 3, *de Re rust.*, cap. 3, romanos consules, supremos scilicet imperii moderatores, domi suae excipiebat quam liberalissime; L. Rubrius, et ipse Casinas, M. Antonium romanorum facile principem, Tullii Philippicis, exagitatum, haeredem fecit; Vmmidius alter, Caii filius, cognomento Darmius Quadratus amplissimum quaestorium munus Romae cum dedisset, ibidemque aedilis Curulis, praetor aerarii, Xvir, litibus iudicandis, XVvir, sacris faciundis, curator publicarum tabularum, praefectus frumenti dandi fuisset, consulatus deinde honore functus, primo Cyprum proconsul, postmodum Tiberii Claudii Neronis legatus, Lusitaniam, Illyrium, Syriam propraetor summa cum sui laude gessit. Tres etiam eius posterius romano consulatu annis domini CV, CXLII, CLXVII inchoato, hodieque in Fastis Consularibus splendescunt, nempe C. Antius Iulius, L. Stadius, ac Titus; ex quibus priorem Γαῖον Ἄντων Ἰουλίον Ἀυλοῦ υἱὸν Κουάδρατον δις ὕπατον, Ἀνλίπατον Ἀσίας idest: Caium Antium Julium, Auli filium, Quadratum, bis consulem, proconsulem Asiae, vocat graeca inscriptio Atheniensis apud clarissimum Sponium. Nec minus enituit praefati Hummidii Durmii Quadrati Syriae praesidis filia Vmmidia Quadratilla epistolis iunioris Plinii laudatissima femina; quae regia pene liberalitate Casinatibus suis extruxit templum ordine hetrusco, lapidibus mirae magnitudinis, nullo caemento, ut Romanum Marci Agrippae ordine corinthio Pantheon, sed proportionem tantummodo coeuntibus. Amphiteatrum peripheriae palmarum MXII, portas habens quinque palmis XXXII sublimes, latas XVI, Theatrum reticulati operis, magna ex parte dirutum, cuius tamen quae adhuc extant rudera, palmis CCCL excurrunt. Temporum obluctata iniuriis haec aedificia supersunt adhuc,

inter Hydrothecarum, aquaeductuum, aliarumque magnarum substructionum parietinas, primaevi splendoris Casini testes fidissimos. Caetera vel penitus excisa iacent, vel gramine ruderibusque obducta delitescunt, cuiusmodi sunt M. Terentii Varronis villa, memorata Ciceronis Philippica II admirandum scilicet studiorum, ac rusticationum illius diversorium, romana magnificentia olim exurgens, silva manu consita, celsis vernans arboribus, piscinae plures, porticibus et marmoreis circumornatae culumnis, musaeum selectissimis codicibus, quavis etiam re antiquaria refertissimum; Tulus columnatus ultra piscinas eminens, sub quo Stella Lucifer interdum noctu Hesperus ad infimum usque hemisphaerium circum eundo, tempora indicabant; magna turris octagona, totidem ventis, Euro, Apeliote, Caecia, Borea, Zephiro, Scirone, Noto, Africo, specie alati hominis emblemate multiplici redimiti, opere anaglyphico in angulorum orbe affabre caelatis, desuper vero aereus Triton ventum flantem virga innuebat, ad exemplar horologii urbis Athenarum, quod inibi Andronicus Cyrrestes pridem excitavit; Ornithon seu Aviarium, quod ut ipse Varro scribit lib. 3, *de Re rustica*, cap. 5, venustate, ac elegantia putabatur longe vicisse ἀρχέλυττον Brundisium M. Lenii Strabonis et ὀρνιθοτροφεῖον Tusculanum M. Luculli....